



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. VIII. Adducuntur Euangelij testimonia, quibus nobis Christus magnam, quâ Deus per mortale peccatum afficitur, iniuriam patefecit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

quæ terram sanctis, & cælestē curiam
beatis replet, sese submittere. Hæc
sunt, quæ nobis peccati gravitatem,
quod sit iniuria, & offensa Dei, pate-
faciunt; & hæc nos vehementer ad il-
lud timendum, odioque habendum
movere debent, dicentes cum Dau-
de: *a Iniquitatem odio habui, & legem
tuam, Domine, ex corde dilexi.*

a Ps. 118. 163.

*Adducuntur Evangelij testimonia, quibus
nobis Christus magnam, quâ Deus
per mortale peccatum afficitur,
iniuriam patefecit.*

C A P. VIII.

QUæ Christus in carne mortali fe-
cit opera, quosque de diuinis, &
humanis rebus habuit sensus, manife-
stant nobis naturam Dei, & quid ipse
de rebus omnibus sentiat, ac iudicet.
Etenim Christus, in quantum Deus, est
imago æterna, & expressa æterni sui
Patris, eiusdemque diuinæ ipsius sub-
stantiæ, ac naturæ; & in quantum ho-
mo,

mo, est imago diuinitatis participata, eamque admodum ad viuum, & perfectè repræsentat; nam in omni eo, quod faciebat, dicebátne, quatenus Homo, diuinam faciebat voluntatem, cuius sacra illa Humanitas instrumentum erat. Et sic id, quod in quantum Homo de peccato sentiebat, & magnus, quem hoc ipsi attulit, dolor, ac tristitia, & quæ ille contra idem fecit, ac dixit, magnitudinem iniuriæ, quæ per id Maieitati Dei fit, nobis declarant: atque hæc nos isto loco, in huius veritatis confirmationem, afferemus.

a Cum, vt S. Marcus narrat, Christus die Sabbati in Synagogâ esset, voluit hominem quendam *habentem manum aridam* curare; vidensque malitiam Pharisæorum, qui *observabant eum, si Sabbatis curaret, vt accusarent illum de transgressione Sabbati, circumspexit eos* irato, tristicique vultu; nam ex vnâ parte iratus fuit peccato, quod ipsos excæcatos, & in animâ mortuos tenebat,

desi-

a *Marc. 3. 1.*

desiderans illud destruere, & ex altero
 doluit, compassusque eis est, videns
 illos intantâ culpæ miseriam, & æternam
 damnationis iacere periculo, vnde li-
 berare eos, saluaréque cupiebat; qua-
 re Euangelista dicit: *Contristatus est*
Dominus super cecitate cordis eorum.
 Postquam in Corozain, & Bethsaida
 ciuitatibus Israël, prædicasset, ac mi-
 racula fecisset, videretque earum ha-
 bitatores in peccatis suis manere,
 nec de ijs poenitentiam agere, magno
 perè de illis conquestus est, cepitque
 lamentari damnum culpæ, quæ eos
 longè à Deo separabat, & malum po-
 næ, quæ ipsos manebat, dicens: *a*
tibi Corozain, & tibi Bethsaida: quia si
Tyro, & Sidone facta essent virtutes, quæ
facta sunt in vobis, poenitentiam egissent.
 propterea Tyro, & Sidoni remissius erit
 in die diuini iudicij, quàm vobis. Ma-
 gnum malum est, quod tantæ in Christi
 sti corde tristitiæ causa extitit, vt eam
 ipsâ exteriori vultûs specie ostende-
 ret.

a Matth. 23, 21.

De grauitate peccati mortalis. 83

ret, intuens dolenter Phariseos, qui in peccato erant, ipsumque lamentari faceret ciuitates, quæ nolebant de suis delictis poenitentiam agere. Et quamuis Christus contristaretur propter damnum animarum, magis tamen contristabatur propter iniuriam, quæ per peccatum caelesti eius Patri fiebat. Hac tristitiâ, lamentationeque nos docuit sentire peccati grauitatem, & damnum animarum, Dei que offensam deplorare. Ita S. Chrysostomus, *a Deplorat.* inquit, *Dominus has ciuitates ad nostrum exemplum, vt scilicet peccata, quibus offenditur Deus, & animæ pereunt, nos sentire, & plangere doceat: eò quod effusio lacrimarum, & gemitus amarus super patientes insensibilitatem doloris, non modicum antidotum est, & ad correctionem patientium, & ad remedium ingemiscientium super eos.* Cum ad Christum allatus esset puer lunaticus, & Dæmoniacus, adessentque Scribæ, & Pharisei, & turba popularis, videns ille multorum

a D. Chr. Luc. 10. in car.

torum ex ijs, & tam absentium, quam
 presentium malitiam, magno cum do-
 lore, sensuque cordis sui dixit: *a* O
*generatio incredula, & perversa, quomodo
 ero vobiscum, vestramque incredulita-
 tem, ac pertinaciam videbo? usquequomodo
 patiar vos? usquequomodo expectabo, tole-
 rans malitiam vestram? Hac querela,
 reprehensioneque declaravit Christus
 ingentem amaritudinem, ac dolorem
 quem ei adferebant peccata, & con-
 versatio inter malos in malitia sua
 pertinaces, & quanto magis hoc, quam
 mortis dolores sentiret, ideoque se
 quantum in ipso esset, hanc desidera-
 re, ut exiret ab eis, neque ipsorum per-
 versitatem, mortali carne indutus
 aspiceret. Ita S. Chrysostomus ait: *b*
*Quam mori sciat, quantumque ad Patrem
 redire desideret; & quia non sit sibi mole-
 sta passio, sed cum impoenitentibus pec-
 catoribus conversatio, his verbis Chri-
 stus ostendit. Cum Dominus Lazarum
 resu-**

*a Matth. 17. 16. Marc. 9. 18. b D
 Chr. Matth. 17.*

resuscitare vellet, videretque Mariam,
& Iudæos, qui venerant cum eâ, plo-
rantes, dicit Evangelista, eum *infre-*
muisse Spiritu, & turbasse seipsum; a hoc
est, formasse motum interiorem iræ,
significatæ per sonum vocis, & vultûs
speciem: atque hæc ira fuit contra
peccatum mundi, per quod mors tem-
poralis, & æterna in hunc introierat;
& præsertim contra peccata populi
Israël, qui nullum ex illius doctrinâ,
& miraculis fructum capiebat. Ac se-
ipsum turbavit motu compassionis, &
tristitiæ, dolorisque voluntariè susce-
pti propter omnia mundi mala, &
præcipuè propter Dei offensas, rui-
namque animarum. Et hoc compas-
sionis, ac doloris motu gravitatē pec-
cati, quamque vehementer id sentiret,
ostendens, nos docuit, vt dolorem in-
de sentiamus, valdeque ex corde illud
defleamus. Sic monet S. Augustinus,
dicens: *b Turbat semetipsum Christus,*
ut significet tibi, quomodo turbari tu de-
beas,

a Ioan. 11. 33. b D. Aug. tr. 49. Ioan. 11. 33.

Beas, cum tantâ mole peccati grauaria, &
premeris. In vltimâ coenâ cum lauisset
 Christus pedes suis discipulis, & inter
 hos Iudæ, vt emolliret cor illius, ipsum
 que ad peccati sui pœnitentiam mo-
 ueret, videns eum obstinatum, *turba-*
tus est Spiritu, vt S. Ioannes testatur, &
 cum grauissimâ asseueratione dixit:
Amen Amen dico vobis: Quia vnus
vobis tradet me in mortem. Turbat
 Dominum, hîc fuit contristari, & ve-
 hementer dolere peccatum Iudæ, eius-
 que miseræ, & æternæ damnationis
 tantundē compati, & iniquitati ipsius
 irasci; declarando his exterioribus si-
 gnis grauitatem peccati, quæ tantam
 doloris turbationem, ac pœnam in
 benedictissimâ eius animâ efficiebat.
 Cum esset Dominus in horto, *cepit con-*
tristari & angî mœrore, doloreque ve-
 hementissimo, quem voluntariè toto
 corde suo suscepit: declaransque hu-
 ius doloris, ac tristitiæ magnitudinem
 dixit: *b Tristis est anima mea vsque ad*

mor-

a Ioan. 13. 21. b Matth. 26. 38.

mortem. Quasi dixisset: tantâ tristitiâ
tristis est; quantâ, si morerer; & anxie-
tate tam vehementi, quàm ea est, quæ
tempore mortis sentitur. *a* Hanc tri-
stitiam, & hunc dolorē suscepit Chri-
stus propter hominum peccata, quæ
præsencia habuit. *b* Et quoniam (viti
S. Thomas docet) hæc tristitia ex ma-
ximâ sapientiâ, maximâque charitate
procedebat, maxima fuit, quam is vn-
quam habuerit, & quantâ nulla crea-
tura in hac vitâ sit habitura; siquidem
certum est, quò quis ampliùs cogno-
scit, quid sit peccatum, quia Dei offen-
sa sit, & quò magis ipsum Deum offen-
sum amat, hoc maiorem tristitiam, do-
loremque esse, quem propter peccata
concepit. Et quemadmodum Christi
anima in hac cognitione, & amore su-
perat immensè omnes totius mundi
homines, sic eos superavit in tristitiâ,
& dolore, quem voluntariè propter
hominum peccata suscepit. Neque
E hæc

a Euthym. Maldonat. Matth. 26.

b D. Th. p. 3. q. 46. a. 6.

hæc tristitia in Christo noua, neque
 exiguæ durationis, sed antiqua fuit
 multumque durauit: nam ab instanti
 suæ conceptionis vsque ad punctum
 mortis, habuit præsentia omnia homi-
 num peccata, eaque; videbat magnâ claritate,
 tanquam offensas æterni Patris sui, quem summè amabat, adeoque
 summè contristabatur, ac dolebat de
 eis. Et quamuis tristitia, ac dolor, qui
 Christus in suâ morte passus est, incomparabilis
 fuerit propter crudelitissimam, quibus in suo
 delicatissimo corpore affectus fuit, tormenta, &
 propter grauissimas ignominias, quas suscepit;
 tamen sine comparatione multo maior fuit
 tristitia, quam propter peccata suscepit;
 quia plùs amabat gloriam æterni Patris,
 contra que peccata erant, quàm suam propriam
 vitam, contra quam erant tormenta passionis
 eius. Idque clarè constat; quod prudens aliquis
 & sapiens vir non eligit maius malum ad
 euitandû minus, sed minus ad euitandum
 maius; & cum

Christi-

Christus, qui plenus sapientiâ, prudentiâque diuinâ erat, elegerit pœnas, ac tormenta corporis, in remedium peccatorum, quibus animæ Deum violabant, atque peribant, sequitur, plûs eum sensisse peccata, & hæc maiorem animæ ipsius dolorem inussisse, quàm tormenta animæ, & corpori inurere potuerint. Et idcirco tam libenter se passioni, ac morti obtulit, quia (vt Isaias dicit) ablaturus erat peccata, animasque iustificaturus. Per hunc tristitiæ, dolorisque sensum, quem Christus habuit, manifestavit nobis peccati gravitatem, & infinitatem ipsius eò, quod sit offensa Dei: idemque nos docuit omnibus passionis, ac mortis suæ tormentis, siquidem ea elegit, amavitque in hunc finem, vt peccata tolleret, nosque inde liberaret. O quàm iustum, ac rationabile est, vt ab isto Domino hanc caelestem veritatem, quam suo exemplo docuit, discamus, & secundum doloris ac tristitiæ, quam nostra ei peccata attulerunt, magnitudinem.

dinem, studeamus illorum sentire gra-
 nitatem, eadem timeamus, odio profe-
 quamur, & fugiamus! Ecquis erit, qui
 non oderit culpam, quæ tantum dolo-
 rem cordi Dei hominis facti inussit.
 Quis erit, qui non fugiat iniquitatem
 ad quam tollendam author vitæ, de-
 torque gloriæ se morti, & opprobrii
 Crucis obtulit? *a Christus* (inquit
 Petrus) *pro peccatis nostris mortuus est,*
mortuus est semel, quia statim resurre-
 xit, non amplius moriturus: sumus
iustus pro nobis iniustus, ac peccatoribus
 passus, mortuusque est, non ut in pec-
 catis nostris maneremus, sed ut nos
ferret æterno suo Patri, mortificatos car-
ne, hoc est, omnibus appetitibus car-
 nis, omnibusque inde proficiscentibus
 peccatis mortuos, & *uiuificatos spiritu*
 per spiritualement vitam gratiæ, quæ
 vita æternæ gloriæ acqui-
 ritur.

Osten.